This Copy of Mr Robert Smith's Lucretian verses was given me by his brother Sydney.—



CARMINA.

FASCICULUS CARMINUM

STYLO LUCRETIANO SCRIPTORUM

AUCTORIBUS

DOCTIS QUIBUSDAM VIRIS

IN SINU REGIÆ SCHOLÆ ETONENSIS

MUSARUM DISCIPLINA

OLIM INSTITUTIS.

ETONÆ

IMPENSIS E P WILLIAMS

MDCCCXXXIX.

AD LECTOREM.

HABES, mi Lector, carmina quædam stylo Lucretiano scripta, ipso Lucretio, ni fallor, vix indigna. Quæ quidem non primum jam in lucem publicam prodeunt, sed antehac non uno ullo libro continebantur. Quoniam vero præclaram ingenii vim habere, atque ad rem unam quodammodo spectare viderentur, putavi me non male de literatis omnibus meriturum, si poemata tam pulchra uno simul fasciculo conjungerem. Neque me fefellit, quod fortasse ita collocata splendorem suum mutuo repercussum augerent. Utcunque hoc se habeat, excusatione mihi indigere non videor, quod rem susceperim, quæ doctis nullo modo ingrata esse potest. Est sane jucundum versus bonos etiam atque etiam perlegere; vereor tamen ne vulgus, hoc præsertim sæculo, Musarum veterum studium dulce potius quam utile esse censeant, et in re prorsus infructuosa illos versari credant, qui versibus Latinis faciendis operam insumunt.

Ego contra opinor, quicquid ad mores hominum emolliendos spectet, quicquid sensus nostros rerum pulchrarum imaginibus delectet, quicquid a corporeis et externis deliciis ad puriores simul dulcioresque animi voluptates revocet, non mediocriter utile esse habendum.

Interdum vero Musarum vox grande aliquod et philosophum sonat; atque illa præsertim de causa hæc carmina, quæ jam primum in unum fasciculum redegi, summa admiratione digna videntur, quod non "nugæ canoræ" sunt, sed res magnas magno ingenio tractant; et, quæstionibus obscuris lucem poeticam circumdando, intellectu faciliores reddunt. Illis sane inest mirus quidam cogitandi vigor et severitas, rerum ordo luculentus, sermonis Latini lepor merus atque elegantia. Talia carmina qui scribat, necesse est non solum "labra fonte Caballino proluerit," sed studiis quoque gravissimis se dederit, multa perdifficilia recte intelligat, rerum naturam animo penitus perspexerit. Hæc autem qui fecerit, an non rebus utilissimis versatus est?

Supervacaneum foret, utcunque gratum, pauca quædam de auctoribus horum carminum adjicere; illi enim literatis omnibus satis jampridem noti sunt. Hoc unum lectores monitos velim, poemata hæc a juvenibus scripta esse, qui vix jam ex ephebis excessissent, immo vix gremium Matris ETONÆ reliquissent.

Neque alienum esse ab hoc opere judicem, si Academiæ nostræ alumnos horter, ut bene perpendant quantum in Musarum studiis complures ex iis, qui sibi in hoc curriculo antecesserunt, effecerint; et exempla eorum tam præclara omni laude atque imitatione dignentur.

G. G. C.

ETONÆ,
Kal. Jan. MDCCCXXXIX.

DE PRINCIPIIS COGITANDI,

AUCTORE

THOMA GRAY.

DE PRINCIPIIS COGITANDI.

LIBER PRIMUS.

AD FAVONIUM.

UNDE Animus scire incipiat: quibus inchoet orsa
Principiis seriem rerum, tenuemque catenam
Mnemosyne; Ratio unde rudi sub pectore tardum
Augeat imperium; et primum mortalibus ægris
Ira, Dolor, Metus, et Curæ nascantur inanes,
Hinc canere aggredior. Nec dedignare canentem,
O decus! Angliacæ certe O lux altera gentis!
Si qua primus iter monstras, vestigia conor
Signare incerta, tremulaque insistere planta.
Quin potius duc ipse (potes namque omnia) sanctum
Ad limen, (si rite adeo, si pectore puro,)
Obscuræ reserans Naturæ ingentia claustra.

Tu cæcas rerum causas, fontemque severum
Pande, Pater; tibi enim, tibi, veri magne Sacerdos,
Corda patent hominum, atque altæ penetralia Mentis.

Tuque aures adhibe vacuas, facilesque, Favoni,
(Quod tibi crescit opus) simplex nec despice carmen,
Nec vatem: non illa leves primordia motus,
Quanquam parva, dabunt. Lætum vel amabile quicquid
Usquam oritur, trahit hinc ortum; nec surgit ad auras,
Quin ea conspirent simul, eventusque secundent.
Hinc variæ vitaï artes, ac mollior usus,
Dulce et amicitiæ vinclum: Sapientia dia
Hinc roseum accendit lumen, vultuque sereno
Humanas aperit mentes, nova gaudia monstrans,
Deformesque fugat curas, vanosque timores:
Scilicet et rerum crescit pulcherrima Virtus.
Illa etiam, quæ te (mirum!) noctesque diesque
Assidue fovet inspirans, linguamque sequentem
Temperat in numeros, atque horas mulcet inertes;
Aurea non alia se jactat origine Musa.

Principio, ut magnum fœdus Natura creatrix
Firmavit, tardis jussitque inolescere membris
Sublimes animas; tenebroso in carcere partem
Noluit æthercam longo torpere veterno:
Nec per se proprium passa exercere vigorem est,

Ne sociæ molis conjunctos sperneret artus,
Ponderis oblita, et cœlestis conscia flammæ.
Idcirco innumero ductu tremere undique fibras
Nervorum instituit: tum toto corpore miscens
Implicuit late ramos, et sensile textum,
Implevitque humore suo (seu lympha vocanda,
Sive aura est) tenuis certe, atque levissima quædam
Vis versatur agens, parvosque infusa canales
Perfluit; assidue externis quæ concita plagis,
Mobilis, incussique fidelis nuntia motus,
Hinc inde accensa contage relabitur usque
Ad superas hominis sedes, arcemque cerebri.
Namque illic posuit solium, et sua templa sacravit
Mens animi: hanc circum coëunt, densoque feruntur
Agmine notitiæ, simulacraque tenuia rerum:
Ecce autem naturæ ingens aperitur imago
Immensæ, variique patent commercia mundi.

Ac uti longinquis descendunt montibus amnes
Velivolus Tamisis, flaventisque Indus arenæ,
Euphratesque, Tagusque, et opimo flumine Ganges,
Undas quisque suas volvens, cursuque sonoro
In mare prorumpunt: hos magno acclinis in antro
Excipit Oceanus, natorumque ordine longo
Dona recognoscit venientum, ultroque serenat

Cæruleam faciem, et diffuso marmore ridet.
Haud aliter species properant se inferre novellæ
Certatim menti, atque aditus quino agmine complent.
  Primas tactus agit partes, primusque minutæ
Laxat iter cæcum turbæ, recipitque ruentem.
Non idem huic modus est, qui fratribus: amplius ille
Imperium affectat senior, penitusque medullis,
Visceribusque habitat totis, pellisque recentem
Funditur in telam, et late per stamina vivit.
Necdum etiam matris puer eluctatus ab alvo
Multiplices solvit tunicas, et vincula rupit;
Sopitus molli somno, tepidoque liquore
Circumfusus adhuc: tactus tamen aura lacessit
Jamdudum levior sensus, animamque reclusit.
Idque magis simul, ac solitum blandumque calorem
Frigore mutavit cœli, quod verberat acri
Impete inassuetos artus: tum sævior adstat,
Humanæque comes vitæ Dolor excipit: ille
Cunctantem frustra et tremulo multa ore querentem
Corripit invadens, ferreisque amplectitur ulnis.
Tum species primum patefacta est candida Lucis
(Usque vices adeo Natura bonique, malique,
Exæquat, justaque manu sua damna rependit)
Tum primum, ignotosque bibunt nova lumina soles.

Carmine quo, Dea, te dicam, gratissima cœli
Progenies, ortumque tuum; gemmantia rore
Ut per prata levi lustras, et floribus halans
Purpureum Veris gremium, scenamque virentem
Pingis, et umbriferos colles, et cærula regna?
Gratia te, Venerisque Lepos, et mille Colorum,
Formarumque chorus sequitur, Motusque decentes.
At caput invisum Stygiis Nox atra tenebris
Abdidit, horrendæque simul Formidinis ora,
Pervigilesque æstus Curarum, atque anxius Angor:
Undique Lætitia florent mortalia corda,
Purus et arridet largis fulgoribus Æther.

Omnia nec tu ideo invalidæ se pandere Menti
(Quippe nimis teneros posset vis tanta diei
Perturbare, et inexpertos confundere visus)
Nec capere infantes animos, neu cernere credas
Tam variam molem, et miræ spectacula lucis:
Nescio qua tamen hæc oculos dulcedine parvos
Splendida percussit novitas, traxitque sequentes;
Nonne videmus enim, latis inserta fenestris
Sicubi se Phœbi dispergant aurea tela,
Sive lucernarum rutilus colluxerit ardor,
Extemplo huc obverti aciem, quæ fixa repertos
Haurit inexpletum radios, fruiturque tuendo.

Altior huic vero sensu, majorque videtur
Addita, Judicioque arcte connexa potestas,
Quod simul atque ætas volventibus auxerit annis,
Hæc simul, assiduo depascens omnia visu,
Perspiciet, vis quanta loci, quid polleat ordo,
Juncturæ quis honos, ut res accendere rebus
Lumina conjurant inter se, et mutua fulgent.

Nec minor in geminis viget auribus insita virtus,
Nec tantum in curvis quæ pervigil excubet antris
Hinc atque hinc (ubi Vox tremefecerit ostia pulsu
Aëriis invecta rotis) longeque recurset:
Scilicet Eloquio hæc sonitus, hæc fulminis alas,
Et mulcere dedit dictis et tollere corda,
Verbaque metiri numeris, versuque ligare
Repperit, et quicquid discant Libethrides undæ,
Calliope quoties, quoties Pater ipse canendi
Evolvat liquidum carmen, calamove loquenti
Inspiret dulces animas, digitisque figuret.

At medias fauces, et linguæ humentia templa
Gustus habet, qua se insinuet jucunda saporum
Luxuries, dona Autumni, Bacchique voluptas.

Naribus interea consedit odora hominum vis,
Docta leves captare auras, Panchaïa quales
Vere novo exhalat, Floræve quod oscula fragrant

Roscida, cum Zephyri furtim sub vesperis hora
Respondet votis, mollemque aspirat amorem.
  Tot portas altæ capitis circumdedit arci
Alma Parens, sensusque vias per membra reclusit;
Haud solas: namque intus agit vivata facultas,
Qua sese explorat, contemplatusque repente
Ipse suas animus vires, momentaque cernit.
Quid velit, aut possit, cupiat, fugiatve vicissim
Percipit imperio gaudens; neque corpora fallunt
Morigera ad celeres actus, ac numina mentis.
  Qualis Hamadryadum quondam si forte sororum
Una, novos peragrans saltus, et devia rura;
(Atque illam in viridi suadet procumbere ripa
Fontis pura quies, et opaci frigoris umbra)
Dum prona in latices speculi de margine pendet,
Mirata est subitam venienti occurrere Nympham:
Mox eosdem, quos ipsa, artus, eadem ora gerentem
Una inferre gradus, una succedere sylvæ
Aspicit alludens; seseque agnoscit in undis.
Sic sensu interno rerum simulacra suarum
Mens ciet, et proprios observat conscia vultus.
Nec vero simplex ratio, aut jus omnibus unum
Constat imaginibus. Sunt quæ bina ostia norunt;
Hæ privos servant aditus; sine legibus illæ

Passim, qua data porta, ruunt, animoque propinquant.
Respice, cui a cunis tristes extinxit ocellos,
Sæva et in æternas mersit natura tenebras:
Illi ignota dies lucet, vernusque colorum
Offusus nitor est, et vivæ gratia formæ.
Corporis at filum, et motus, spatiumque, locique
Intervalla datur certo dignoscere tactu:
Quandoquidem his iter ambiguum est, et janua duplex,
Exclusæque oculis species irrumpere tendunt
Per digitos. Atqui solis concessa potestas
Luminibus blandæ est radios immittere lucis.

Undique proporro sociis, quacunque patescit
Notitiæ campus, mistæ lasciva feruntur
Turba voluptatis comites, formæque dolorum
Terribiles visu, et porta glomerantur in omni.

Nec vario minus introitu magnum ingruit illud,
Quo facere et fungi, quo res existere circum
Quamque sibi proprio cum corpore scimus, et ire
Ordine, perpetuoque per ævum flumine labi.

Nunc age quo valeat pacto, qua sensilis arte
Affectare viam, atque animi tentare latebras
Materies (dictis aures adverte faventes)
Exsequar. Imprimis spatii quam multa per æquor
Millia multigenis pandant se corpora seclis,

Expende. Haud unum invenies, quod mente licebit
Amplecti, nedum propius deprendere sensu,
Molis egens certæ, aut solido sine robore, cujus
Denique mobilitas linquit, texturave partes,
Ulla nec orarum circumcæsura coercet.
Hæc conjuncta adeo tota compage fatetur
Mundus, et extremo clamant in limine rerum,
(Si rebus datur extremum) primordia. Firmat
Hæc eadem tactus (tactum quis dicere falsum
Audeat?) hæc oculi nec lucidus arguit orbis.

Inde potestatum enasci densissima proles;
Nam quodcunque ferit visum, tangive laborat,
Quicquid nare bibis, vel concava concipit auris,
Quicquid lingua sapit, credas hoc omne, necesse est
Ponderibus, textu, discursu, mole, figura
Particulas præstare leves, et semina rerum.
Nunc oculos igitur pascunt, et luce ministra
Fulgere cuncta vides, spargique coloribus orbem,
Dum de sole trahunt alias, aliasque superne
Detorquent, retroque docent se vertere flammas.
Nunc trepido inter se fervent corpuscula pulsu,
Ut tremor æthera per magnum, lateque natantes
Aurarum fluctus avidi vibrantia claustra
Auditus queat allabi, sonitumque propaget.

Cominus interdum non ullo interprete per se
Nervorum invadunt teneras quatientia fibras,
Sensiferumque urgent ultro per viscera motum.

*   *   *   *

LIBER QUARTUS.

Hactenus haud segnis Naturæ arcana retexi
Musarum interpres, primusque Britanna per arva
Romano liquidum deduxi flumine rivum.
Cum Tu opere in medio, spes tanti et causa laboris,
Linquis, et æternam fati te condis in umbram!
Vidi egomet duro graviter concussa dolore
Pectora, in alterius non unquam lenta dolorem;
Et languere oculos vidi, et pallescere amantem
Vultum, quo nunquam Pietas nisi rara, Fidesque,
Altus amor Veri, et purum spirabat Honestum.
Visa tamen tardi demum inclementia morbi
Cessare est, reducemque iterum roseo ore Salutem
Speravi, atque una tecum, dilecte Favoni!
Credulus heu longos, ut quondam, fallere Soles.
Heu spes nequicquam dulces, atque irrita vota!
Heu mœstos Soles, sine te quos ducere flendo
Per desideria, et questus jam cogor inanes!

At Tu, sancta anima, ct nostri non indiga luctus,
Stellanti templo, sincerique ætheris igne,
Unde orta es, fruere; atque o si secura, nec ultra
Mortalis, notos olim miserata labores
Respectes, tenuesque vacet cognoscere curas;
Humanam si forte alta de sede procellam
Contemplere, metus, stimulosque cupidinis acres,
Gaudiaquc et gemitus, parvoque in corde tumultum
Irarum ingentem, et sævos sub pectore fluctus;
Respice et has lacrymas, memori quas ictus amore
Fundo; quod possum, juxta lugerc scpulchrum
Dum juvat, et mutæ vana hæc jactare favillæ.

IMMORTALITAS ANIMÆ,

AUCTORE

JOHANNE KEATE.

IMMORTALITAS ANIMÆ.

Σκόπει δὴ—τῷ μὲν θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως, καὶ κατὰ ταυτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχήν. PLATO.

NEQUICQUAM ergo animos nigræ formidine mortis
Solverit, humanisque offusa crepuscula rebus
Purior eluerit ratio; nequicquam animaï
Naturam, penitusque altos patefecerit ortus
Relligio—quoniam interea dulcedine vitæ
Sollicitamur, et ancipitis sub limine leti
Plangimus, et lugemus, inhæremusque dolori
Immemores! quasi demum animæ vivata potestas,
Mortalem induta eluviem, terrenaque vincla,
Occubet, atque arcti patiatur claustra sepulcri.
Jam vero imprimis sacræ penetralia mentis
Explorare, adeoque ipsos exquirere fontes

Profuerit—simplex ergo atque intactilis illa est,
Quæ neque vulneribus laniari, nec potis ulla
Vi labefacta quati, et quino dominatur in artus
Cincta satellitio, tenuis quibus addita circum
Compages nervorum, et molli stamina nexu
Multimodis agitata, levisque capacia tactus.
Qualis ubi tremuli excipiens suspiria venti
Increpuit chelys, elicitos ea percita sensim
Solvitur in numeros, ultroque per omnia mœstum
Fila bibit melos, et molli languescit in aura.
Haud secus assiduo tremulos ferit impete sensus
Materies circumvolitans : mens unde recepto
Tangitur impulsu, et salientibus incita nervis,
Vel placidi murmur Zephyri, et sinuosa sonorum
Flumina, vel liquidum lucis bibit acrior imbrem.
Non tamen his animam ex rebus constare putandum est
Vivam illam et vegetam, quæ quanquam adjuncta parumper
Vincula, et humanæ patitur contagia labis,
Excutitur tamen interdum, et dominantior ipsa
Majestate sedet propria, nihil indiga sensus
Corporei, interiusque suo se lumine lustrat—
Qualem etiam in somnis videas, ubi corpore vincto

Emicat exultans anima, ætheriique volatus
Prima rudimenta affectans, jam tota sub auras
Velle videtur abire, ultraque ascendere tardos
Materiæ fines, et rupta repagula rerum.
  Istane, cum vitæ Sol occidit, ista sepulto
Cæca comes cineri, et mutis immixta favillis,
Indigna peritura nece est; penitusque silenti
Nocte jacens, inhonora, extinctaque, nil aget ultra
Infelix spatium, et fluxæ proscenia vitæ?
Quare igitur cupidi angustos diffringere fines,
Debilibusque brevi saltem superesse triumpho
Corporibus, tumulos, umbrataque busta coronis,
Ossaque honorato recubantia Mausoleo
Sacramus, memorique juvat mandarier ævo?
Aut illud quare humana sub mente futuri
Increscit desiderium, semperque volentes
Raptat agens animos vitæ melioris imago?
  Scilicet indignans lacero plangentia dorso
Lora, catenarumque gravi sub Sole laborem,
Crudele imperium, impositumque libentius Afer
Hac patitur mercede jugum; cum rura prioris
Conscia desidiæ, et patrii sibi gaudia fingit
Post mortem reditura soli: jamque ardet amœnam
Propter aquam, et suaves Daradi sub vallibus umbras,

Membra toro desueta superposuisse, neque ultra
Flagra gravis domini, aut comitum meminisse querelas.
Nec temere illa rudem ludunt insomnia mentem. 61
Esse Deum, ultorem sceleris, tardæque ministrum
Justitiæ, natura docet: nec cernere frustra
Credibile est illum lacrymas, et tristia mentis
Vulnera.—Sic vobis ultra confinia vitæ
Leniat, afflicti, gemitus, sic limine mortis
Excipiat, puroque animos soletur amore.

Jam vero Elysios saltus, habitandaque castis
Arva piorum animis, et amœni umbracula luci,
Mœrentesve Acherontis aquas, Lethesque soporum
Flumen, et ad tristes æterna crepuscula ripas,
Ultricemque metum, exurendaque crimina flamma,
Quid tibi, mortalis, tanti est garrire? quid illa
Usque adeo majora tua mysteria mente
Nequicquam exagitas animi miser? inque peditus
Hæres, conquererisque, et inani falleris umbra?
Vastæ illic obstant tenebræ, ulteriusque vagari
Impediunt caligantes velantia sensus
Nubila, dum bruta mentem sub mole fatigat
Pondus hebes membrorum, et vincula materiaï.

Esse autem immortalem animam, fractæque ruinis
Materiæ, atque orbi penitus superesse revulso,

Vividus ingenii calor, et divina facultas,
Affectusquc, metusque, et spes, quæ præscia lustrat
Æterna ulterius spatia, et felicius ævum;
Ipsa quoque exclamat, vadens opera omnia circum,
Ipsa Dei Natura—I, demens, crede tonantem
Nil curare, nec humanis intendere numen
Posse Deos, animamque perire, et lubrica rerum
Semina, saltantesque atomos fluitasse, prius quam
Ingenita virtute novus coalesceret orbis.
Ista, soporatæ quoniam sic somnia menti
Arrident, tecum ista agita, tenebrasque secutus
Plaude tibi, penitusque solo adsternaris, et erres
Cæcus et infelix Epicureo in Labyrintho.

CARTESII PRINCIPIA,

AUCTORE

ROBERTO SMITH.

CARTESII PRINCIPIA.

Qui primus sacros potuisti accedere fontes,
Unde aperire viam veri, atque erumpere sese
E tenebris audet ratio, tua, Magne, reperta
Aggredior, si qua ulla vocatæ gratia Musæ
Dissolvat gelida concretum temperie cor,
Atque hebetem magno naturam accendat amore.
Principio passim spatia indigesta tenebat
Lubrica materies, crudique trementia mundi
Semina; nec vacuum illud erat, sed plena volabant
Corpora. Tum assiduis inter se motibus acta
Liquida ramenta, et teneri cœpere vapores
Diffluere, et vastum sese Labyrinthus in æquor
Explicuit, fecitque viam, qua præcipitantes
Confluerent atomi, et solidus coalesceret orbis.
Major abhinc rerum facies, et sanctior usus
Exoritur; voluitque animatam fœdere fixo
Ire Deus naturam, et justis volvere sese

Imperiis: ipse in medio, certissimus auctor,
Intus agit, pascitque effuso numine mundum.
Idcirco levis iste fluor circum ambit opacos,
Ætheris oceano cingens, atque irrigat orbes;
Vividus, alta tremens, æterno turbine raptus:
Qualem etiam æstivo sub sudo sæpe videre est,
Cum flammæ ardentes radii, tenuesque superne
Lympharum rores, atque auræ intactilis humor
Miscuerunt sese, et cœlo luctantur aperto;
Æstu pura quati loca cernimus, et tremere omnem
Aëra per campum, rapidaque liquescere luce.
Sol autem maris immensi spatia aurea circum
Vorticibus trahit, et rutilo rotat axe planetas.
Illæ indefessæ peragunt per inania cursus
Quæque suos. Una erranti symphonia cœlo
Scilicet, et rerum consentit mobilis ordo.
Arduus ante omnes agitur Cyllenius Hermes;
Credibile est illum tenebris et nocte carentem
Æterno radiare die, tam fervida torret
Temperies, rapidique urget vicinia Solis.
Gratas quippe vices aliis, requiemque calorum
Alternam Natura dedit, jussitque vagari
(Floridus unde foret vigor, et sincera facultas)
Nubila per cœlum, et gelidos erumpere fontes,

Diffuditque cavis liquidum in convallibus æquor.
  Proxima deinde tenet magni spatia ampla sereni
Dia Venus, tibi, Terra, soror, tibi prima diei
Nuncia, cum teneram jaculatur roscida lucem
Mane novo, noctisque hyemalia claustra resolvit.
Æstivis eadem illa comes surgentia ducit
Sidera temporibus—
  Nec tu, Terra, tui media in testudine mundi
Figeris, astrorumque sedes regina, sed una
Rapta volas, usque assidua vortigine tranans
Ætherios apices, liquidique volumina cœli;
Sicut odoratam cum Pinaron, aut Calycadni
Prætervecta sinus, aut ostia divitis Indi
Labitur indulgens Zephyro ratis; omne cubanti
Sternitur æquor aqua; læves illa usque per undas
It tacita, et specie labentia littora linquit.
  Ulteriora autem læva torrentia luce
Martis, et ignito crudescunt concava vultu.
Deinde Jovem circum fulgenti quatuor ardent
Astra satellitio: gelidos Saturnus oberrat
Extremus fines, et tardo lumine lustrat,
Quos ultra innumeri Soles, et candida currunt
Sidera, sive ea sunt magni flammantia mundi
Mœnia, seu vastum diffusa per infinitum

Ultra animorum aciem, et nostræ confinia mentis.
Ergo umbras sequimur tenues, et inania rerum
Somnia: nec mœstæ flerunt Phaethonta sorores,
Stillantes vitreum foliis lacrymantibus imbrem,
Curribus excussum patriis; nec conscia Latmi
Luna videt nemora; aut stellatæ Atlantides ardent
Virgineis habitatæ animis:—apparet in alto
Pura quies cœlo, liquidisque innantia mundi
Sidera vorticibus, et late lucidus æther.
Felix, qui placidum sophiæ libaverit amnem!
Cui secura suos aperit sapientia fontes!
Pluribus illa quidem; sed enim circumstat acerba
Dirarum facies, prohibetque attingere ripam;
Anxietas, vacuoque ferox Insania risu,
Et quæcunque fatigato comes addita cordi
Hæret inexpletum, atque animo febricitat ægro.
Quid tibi tantopere est, mortalis, multa querentem
Ducere, sollicitamque gravi formidine vitam?
Quid cæcum studio vivendi deterere ævom?
Nequicquam; quoniam brevia atque incerta labascunt
Tempora, et infecta jamjam ad caput adstitit hora
Mors, operumque quies, et respiratio curæ.
Nos autem lucis non intellecta cupido
Alligat, atque animum dulcedine frangit amara.

PLATONIS PRINCIPIA,

AUCTORE

ROBERTO SMITH.

PLATONIS PRINCIPIA.

Πολλοὶ δέ εἰσι καὶ θαυμαστοὶ τῆς γῆς τόποι.
Plat. Phæd.

Eheu! quam gratum est vitaï in limine primo
Ludere luce nova, atque animæ indulgere virenti,
Sæva prius quam cura agitata mente quietem
Exturbaverit, aut tenebras offuderit angor!
Atque utinam his equidem furiis nos carminis ulla
Eriperet medicina: ita turbidus insiliit cor
Irarum chorus, atque agitat sub pectore torquens,
Anxius, irrequietus: et insedit super ingens
Vitaï desiderium—Miser! usque adeone,
Captus amore mali, potes indormire querelis,
Exsolvique dolenter, et ingemere, inque morari?
Ac non ipse tibi quæris, quibus artibu' possis
Castigare fatigatum formidine pectus,
Et quanam ratione queat composta magis mens

Expectare quietem ærumnarum atque laborum ?
At vero dulce est, credo, per aperta serena
Securos errare, et lucida lumina solis
Aspicere, atque haurire recenteis ætheris auras.
Mancupium ! quasi demum in vita non sit agendum,
Tute tui ut potiare, et ad omnem sis habilis rem.
  Ergo magna tibi mundi natura tuenda est ;
Qua porrecta superficies pulcherrima terræ,
Rhipæas arces extra, atque Atlanta nivalem
Panditur, objicibusque imposta patentibus alte
Vera viget facies rerum, et sincera venustas.
Sanctæ illic habitant naturæ, et morte carentes
Dæmones, Heroesque, et Divom æterna propago ;
Purpureumque solum super, et radiantia læta
Luce pavimenta, aspiciunt quam fulgida claro
Astra polo circumvolvi ; rapidumque coruscos
Flectere equos Solem magni super æquora mundi.
At liquidum cœli laquear circum ambit, et inter-
funditur aurea lux, et lacteus irrigat æther ;
Pura dies, placidusque sereno sidere vesper.
Ac veluti melicæ voces simul auribu' sese
Insinuant, animique resignant mollia claustra,
Composuere metus omneis, faciuntque dolorum
Obliviscier, et dulci languescere letho ;

Haud secus est illorum oculis natura, ubi puros
Ebiberint radiorum apices, et picta colorum
Lumina, quippe intus tremula dulcedine tactos
Sollicitat sensus fluidus calor, inque plicata
Retia nervorum permanat viva voluptas.

Quin cursu maria auraï circumflua cingunt
Assiduo, non illa furentibus horrida ventis,
Sed levibus Zephyris tremefacta, et flamine puro
Subtiles animas, et mollia frigora fundunt
Nubibus intemerata vagis atque imbribus atris.

Quorum utique in fundo, cæcum genus, usque remota
Æquora, littoribus resonantia Geryonaï,
Porrigimus lata imperia, et dominamur ad altam
Caucason, et freta Caspiaco stridentia Cauro;
Immemores esse e membris migrandum in opacas
Functarum sedes animarum, interque meandum
Lurida littora, quæ ancipiti pallentia luce
Prænatat atra palus Acheron—

Quippe sub immensis Terræ penetralibus altæ
Hiscunt in vastum tenebræ: magnarum ibi princeps
Labitur undarum Oceanus—quo patre liquoris
Omnigeni latices, et mollis lentor aquaï
Profluxere, nova nantes æstate superne
Aërii rores nebularum, et liquidus imber.

Fama est, perpetuos illinc se erumpere fontes,
Florigerum Ladona, et lubrica vitra Selemni,
Crathidaque, imbriferamque Lycæis vallibus Hagno,
Et gelidam Panopin, et Pirenen lacrymosam:
Illinc et rapidos amnes fluere, et mare magnum.
  Fervidus hinc contra Phlegethon torrente corusco
Circum agitur, vastæ permanans regna ruinæ
Pallida, senta situ, pendentibus aspera saxis.
Haud aliunde levis per laxa foramina terræ
Permanat calor, et fissis penetrabile venis
Insinuat sese flammæ subtilis acumen.
Inde quati montes, elementaque belligerare
Carceribus inclusa suis, inde ardua cerni
Prodigia, et trepidis olim miracula nautis
Fumantes Hieræ scopuli, Liparæaque rupes
Sulphuream exspirans pallenti vertice lucem.
  Tertia mœrentes tristi torpedine fluctus
Styx agit, et glaucas intersecat horrida ripas
Flebilibus lacrymarum undis, atque amne severo.
At medio misti in spatio vacuum omne tumultu
Complent, atque intus penetralibus interruptis
Vehementi ventorum ictu, sursum atque deorsum
Exagitata furit fracti discordia mundi.
Quo simul ac flentes, vitaï vere relicto,

Devenere animæ, sceleris quod quoique luendum
Longa dies exurit, et illætabile tempus.

Jam vero miserum est lacerari ululantibu' ventis
Et circumferri valida vertigine raptum;
Frigoribus stringi æternis, aut igne liquari
Assiduo—quoniam tenera est natura animaï,
Nec composta velut corpus carne, ossibu', nervis;
Quam tamen ista pati fatum est, terrestria donec
Exuerit tolerando, aut exoraverit ultro
Insontes umbras, quæcunque Acherusia claustra
Obscurosque lacus tenui stridore frequentant.

Hic quos funus acerbum, et raptæ injuria lucis
Detulit ante diem in tenebras, dum florida vita
Ver ageret, flueretque tepenti sanguine vena,
Circum errant mœsti, algentes; lacer Amphiaraus,
Hectorei manes, et Belidæ Palamedis
Luce carens caput, et Meleagri tristis imago.
Illum Œneus genitor supremo rore lavabat
Liquido in Eveno, juxta resonantia saxis
Fluviorum spatia, et mollis læta arva Metapæ;
At Parthaoniæ Calydonides, inter opacam
Olenon, et viridem Pleurona sonantibus umbris,
Errabant, nec jam dulces ingressæ Hymenæos,
Prima puellarum—fraternaque funera circum
Languentem abjecere gravi mœrore juventam.

Sancte senex! quem naturæ species, animique
Impulit ignea vis, portas ut frangere possis
Finibus impositas rerum, mundique capaces,
Pande mihi horrentem viridi caligine sylvarum
Ilissum, atque Academiæ sublustria claustra,
Cujus ego in lucis, magno perculsus amore,
Mente vager: juvat alta effingere somnia rerum,
Et veris majora sequi, currusque Deorum
Scandere pennigeros, dum primum Helicona serenum
Advehor, et sacri libamina palleo fontis:
Derivata tuo quoniam de corde sagaci
Dulcis et alta quies animi, pectusque periclis
Purgatum humanis, et fortuna altius omni.

NEWTONI SYSTEMA MUNDANUM,

AUCTORE

ROBERTO SMITH.

NEWTONI SYSTEMA MUNDANUM.

Quis mihi vasta procul mundi convexa resolvens,
Eripiat terrarum umbris, ultraque reponat,
Æthere in altisono, juxta Jovis aurea templa,
Aurea templa super rapida radiantia luce;
Qua Divom fragor ille tonanti lapsus Olympo
Volvitur, atque cavi plangit plaga percita cœli?
Aut media ubi nocte quietæ lampades ardent
Astrorum, et Lunæ gelidum manat jubar, unde
Despiciam superincumbens mortalia secla
Et lacrymas, humilesque metus, curasque jacentes?
Nam neque me tenues augusti carminis ausus
Sidereos orbes inter, rerumque laborem
Irc jubent, tua, Sancte parens, inventa secutum,
Et bibere ingenuos miranti pectore fontes;
Quamvis nulla prius vatum vestigia, casto
Fixa solo, virides tulerint ad limina laurus;

Largifluo quoniam Musaï capta lepore
Mens secura monet, festinaque defluere ævi
Prima quies, teneræque brevis lascivia vitæ.

Principio Terræ, atque Ignis Deus, Oceanique
Semina discrevit: vacuum atque informe silebat
Ante Chaos, jacuitque soporo pondere bruta
Materies, late quam circumsedit opaca
Majestas tenebrarum, atque alti vesperis horror.
Tum vero, simul atque novi primordia pulsus
Cepit iners, habitura modum quemcunque aliunde
Exterus intulerat rerum tenor, ibat in altum
Impetis æterni patiens, neque ibi mora tardat
Terrena, aurarumve hebetat vapor, infinitum
Porrigitur, vacuusque patet sine limite mundus.

Naturæ sed enim tractus amor ille per omnes
Rara rudimenta, et teneros infunditur ortus,
Agglomerare sibi constrictum corpore corpus,
Miscerique et abire in idem; ni irrupta resistat
Durities, solidusque minuto in pulvere finis.
Inde tenax tamen Orbis, et inde elementa cohærent
Quæque locis, rigidi montes, robustaque saxa
Continuant sese, et longi jacet area campi:
Tenuis item tremuli sinus aëris, atque animarum
Fusilis erigitur sublimi limite candor;

Inde serenanti pelago, sub luce quieta
Lubrica panditur unda super fluitantibus undis;
Inde etiam rapidi vacuum per inane planetæ
Certum iter ingeminant versi, tuque, ardua Tellus,
Laberis, et vinclo media interflecteris aureo:
Cærula nec vero flammaï concava supra
Per vastum volgata trementia sidera claudunt,
Nec maris ætherii liquido lavat agmine vortex.
Quippe ea, quæ levibus fuerat prius addita rerum
Insinuataque particulis, ignava facultas
Pergere quo semel impulsu cœpere moveri,
Obstinat, una super desideria, unus ab alto
Tardat amor paris, et coëundi blanda cupido.
Sol itaque assidua æstatem vortigine volvit,
Fervida per medium radiant ubi sidera mundum,
Candidus, et campos irrorat luce patentes.
Sex autem circum astra profundi fulgida cœli
Corripiunt spatia: Ille gravi contraria deorsum
Imperio vocat, ut quantum indignantia vinci
Rectum iter integrent, tantum subtilia tardent
Vincula; ita oppositæ dubio libramine vires
Inter utramque viam lævi declivia flexu
Sollicitant tenus, et facili sinuamine fallunt.
Tum vero, quo cuique magis curvatus eundo

Vertitur interior devexo tramite gyrus,
Et præceps rota vergit, eo magis impetis auctu
Præteriit, vacuumque fuga eluctatur in æquor.
Lentus ibi ascensu labor, et cunctantior actus
Objicitur, donec jam largior orbita vastum
Rettulerit errorem, et rerum causa recurrens
Inclinata suo spatia instauraverit arcu.

Perpetuos igitur genitrix Natura reflexus
Viva novat, liquidumque jubar de fonte perenni
Ebibit, unde dies et mollis in æthere fervor;
Unde colorum habiles tacito discrimine lapsus,
Et septemgemino rumpuntur suavia tortu
Lumina, prout radii tenuis textura cadendo
Frangitur, aut media fluor interrumpitur umbra.

Ultimus Ille coronati vaga cingula cœli
Ostendit, tardusque immensa volumina versat
Nocte super gelida, cui quondam Arnonis Eoï
Propter inumbratum laceris sub rupibus amnem,
Sulphureos ignes circum horribili ululatu
Lurida pallentes duxerunt orgia Mystæ.

Acre dehinc jubar, et magni via vertitur axis:
Illum adeo in terris veteri formidine regem
Extulerant, aris Divom sacrisque repertis,
Pensilis ære cavo clangor, responsaque vatum
Thessalica, et tristi querceta sonantia vento.

Infra autem, cursusque premens confinia nostri,
Ismarium rapido aperitur vertice numen.
At Venus, ante alios cœli sublimior ignes,
Vidit odoratum Libani nemus, et freta cantu
Longa queri; luctus Tyriarum et mollia matrum
Munera, rorantesque rosas, mœstamque anemonen
Spargere purpureo violatum volnere fontem.
Dein propiore rota rutilantia limina radit
Cyllene in gelida dictus sacer.—
Interea spatia ipsa perenni percita pulsu
Visa simul fluere, et cœli positura malignam
Serpere tarda viam, quamvis intactilis, una,
Continuata, capax rerum, regione profunda:
Usque adeo sub Sole reflexis orbibus annus
Serior erigitur rediens, apicesque volutos
Et prolapsa sui sequitur fastigia cursus.
Namque ubi se obliquo scindunt effusa meatu
Æquora, et alterni gravior vicinia motus
Allicit, astra suos usque acclinantia flexus
Aut prolixa volant, aut delibrata feruntur
In latus.—Inde pati senium vaga fabrica mundi,
Inque dies ire in casus, atque impete fati
Assiduo labefactari primordia rerum.
Scilicet et tempus veniat, quo maxima moles

Funditus interrupta ruat, gelidique dehiscant
Horrendum inter se confuso fœdere fines.
Tu quoque, tu in medio pallere videberis orbe,
Sol, opifex flammarum, et acutæ lucis origo,
Attonitisque procul quatere ægra crepuscula terris.
  Est igitur Deus—Ille Anima intellecta per Omne
Implet agens magni mortalia mœnia mundi.
Ille super fontes tenebrarum, immania regna,
Quo neque fervida mens hominum pervenit, et alte
Infinita quies vita vacat, incubat æternum,
Extremamque tegit puro sub numine noctem.

IN MNEMOSYNEN,

AUCTORE

GULIELMO FRERE.

IN MNEMOSYNEN.

An imprimi quasi ceram animum putamus, et esse memoriam signatarum rerum in mente vestigia? **Cic. Tusc. I. 25.**

**Musarum genitrix, animaï dia voluptas,
Mnemosyne, tua dona cano; tu pande canenti
Mentis opeis, regina, sacræ penetralia sedis;
Seu capitis speculam servas, arcemque serenam;
Seu rubicunda foves cordis ferventia templa:
Nam neque magna (nefas!) PRIMÆ miracula CAUSSÆ
Mortalis scrutari aveo; nec quærere qui sit
Spiritus ætherius, nec queis rationibus ictus
Sensiferos persentiscat, brutæque receptet
Momina materiæ; unde ideis vivisque figuris
Pascitur, et multis gestit ditescere rebus.
Principio teneris animus tenerascit in annis;
Notitiæque leves pereunt, natura novellæ
Quas mentis bibit: ut scriptum liquoribu' lymphæ
Diffluit extemplo, vel tenuibus aëris auris.
Fingitur hinc usu adsiduo, et robustior ævo**

Adripit ipse ideas vegeta vi: sedibus illæ
Certatim vacuis inolescunt; stirpibus inde
Ingenuis, validisque alte radicibus hærent.
Qualis ubi, primo tandem violatus aratro,
Ubere luxurians genitali et virgine gleba,
Sponte satis lascivit ager: nascuntur inaneis
Phantasiæ, mentisque vigescit læta propago.

Frangitur heu raptim juvenili in corpore robur,
Florida subruitur vita labente venustas;
Mnemosynes ope mirifica pollens animi vis
Ver agit æternum, vivat licet ossibu' mœror
Adsidue, rabidæque evortant funditus iræ,
Curaque sollicita, aut taciturnus distrahat angor.
Usque adeo Sophiæ subtili adstricta labori
Mens animi, angustoque diu veræ rationis
Limite circumcisa, et torta ambagibu' rerum,
Emicat exultim rediviva, ultroque relabens
Solvitur in dulceis furias, ubi libera tandem
Per loca luxuriat Musarum, atque otia dia.
Sæpe adeo Cami vates torpentis ad undas,
Servitio tristi elapsus, tenerique novercam
Ingenii spernens corde exultante Mathesin;
Tum demum numeros recolens, quos luserat olim
Propter aquas, Thamesine, tuas, et amœna fluenta,
Stagnorum indigenas stupefecit carmine Nymphas.

Ebria Mnemosyne compescit gaudia, et æstus
Lætitiæ vehementis, ubi officiosa renati
Tangit amaritie mœroris; suave relanguens
Solvitur, ærumnaque animus mitescit inani.
Horrificis eadem luctus luroribu' lucem
Præpandit, quoties lapsas dulcedinis horas
Vi magica revocat, sopitosque excitat igneis.
Tu, Dea, sublustri miserum in squalore jacentem,
Arte licet sæva constrictum et mœnibu' magnis,
Ad loca confugiens anteactæ conscia vitæ,
Eripis, et nota delusum in sede reponis,
Quam circum spes alma viget, lætæque juventæ
Inrigat aurea lux, vivisque coloribus opplet.

Quin et barbaricæ quæ victima relligioni,
Ævi jucundum sacrato in carcere florem
Deliciasque novas devovit blandula virgo;
Mnemosynen in vota vocans, frigentia claustra
Effugit: exoritur sociæ pietatis imago,
Necquidquam, paullumque gena pallente relucet,
Languidaque oblitos scintillant lumina amores.

Tu sonteis animos laceras stridentibu' flagris,
Adsidua, inrequieta: tacenti lurida gressu
It semper læsæ mœstissima forma puellæ,
Importuna comes: nunc turbida somnia rumpit

Umbra trucidati, voltu furialis, amici,
Bacchaturque minis, volnusque intentat inultum.
Porro maturis adolescit corporibus mens,
Mnemosyneque viget; subeunt tamen aspera curæ,
Conturbatque animum vitaï sedulus angor,
Et morbi cruciant; languescunt tempore longo
Effigiæ tenues, atque obscurantur in horas.
Quas tamen interdum valido vexamine versans
Insomnis furor, aut rabidæ violentia febris
Redducit, dudum velatas nocte vetusta.
Ac veluti magna tellus convolsa ruina
Immani antiquas urbeis discludit hiatu;
Quas olim ignivomis exundans obruit æstus
Diluviis, aut ipsa profundo vortice sorpsit
Faucibu' disruptis: adparent ordine longo
Templa Deum, spissæque viæ, medioque repente
Festa sepulta choro, atque infecti pompa triumphi.
Denique cum senio franguntur membra, fatiscit
Vivida vis animi, ratio delira vagatur,
Infantemque trahunt oblivia lenta veternum.
Non, quod Aristoteles perhibet, quia molle cerebrum
Post ævo riget, et signo parere recusat
Impresso (capitis quasi demum angustia possit
Finito spatio complectier infinitas

Mentis opeis, et nominibus numeroque carentis
Multipliceis turbæ species seriemque repostam :)
Nam neque crediderim tenerum potuisse cerebrum
Signatæ servare notæ vestigia : certe
Mollities ejus, nullos durata per annos,
Impulsum patitur facilem, et perstringitur ultro.
  Illud in his rebus fatearis, corporis actu
Afficier mentem, paribus ægrescere morbis,
Consentire laboranti, concrescere primum
Crescenti, seraque simul languere senecta.
Non ideo membris innasci primitus ipsis,
(Qualia Lucreti jactant sublimia volgo
Somnia) " dissolvi neque convenit omnem animaï
" Naturam, ceu fumus in altas aëris auras."
At vero, brutæ resoluta e carcere molis,
Ætheriis cœli campis, et sedibus olim
Indigenis ala volitans potietur ovanti,
Temporis et spatii angustis elapsa catenis,
Labe carens mortali, et puræ spiritus auræ :
Nunc invisa gravant tardæ consortia glebæ
Alta petissentem, (quocunque ea fœdere fiant
Dissona concilia, æternam certe omnipotentis
Testificata manum,) sanctos contaminat igneis
Corporea et socia contages peste venenat.

Vani proinde Sophi misero indagate labore
Retia nervorum et cerebelli mollia claustra,
Scilicet ut vobis cura expugnata sequaci
Clara cluat mentis ratio, mysteria magni
Artificis, volgique oculis nudata patescant:
Seu quasi tactilibus nervi natura tremiscit
Staminibus passim, atque impulsus viva vibrando
Propagat; melicos quo pacto chorda sonores
Organica pulsata manu; seu liquidus æther,
Multipliceisque magis tubulos diffusilis humor
Stipat, sensiferisque ultro rigat æstibu' mentem.
Ut lapide injecto placidaï lene movetur
Æquor aquæ, et trepidas sinuando circinat undas;
Incassum. Neque enim veri procudimus hilum,
Nec certum adsequimur callem, tractusque serenos,
Avia figentes nullo vestigia fundo;
At cæci tristesque per ancipitem Labyrinthum
Perpetuo palamur, et altis volvimur umbris.